



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

XLII. Raptor excaecatus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**

ergo, qui filius est? Confessio voluntaria suspecta est. Confessionem sceleris appellas, vocem doloris? Misericordiae vestrae maximum munus est, servare nolentem.

## XLII.

*Raptor excæcatus.*

TALIONIS SIT ACTIO. RAPTARUM LEX. Quidam rapuit, & in raptu à puella excæcatus est. producta ad magistratus, mortem optavit: raptor exigit talionem.

## PRO RAPTORE.

**I**mperare pœnam meam, non agere debebas: nec esse eadem iudex & carnifex. Habet quisque nostrum suam legem: rapta, capitis: excæcatus, oculorum. Tu enim puella, quid passa es? virginitate caruisti. <sup>1</sup> Solenne in his damnum, ut non dixerim votum: erepta autem mihi lux est, antequam morerer, O oculi, <sup>2</sup> quos ego primus adamavi! digna fortuna vos ultra est, ut qui me perdidistis, mecum periretis.

## XLIII.

*Soror infamis immolanda.*

Infamis frater in sororem virginem, occisus est lege indemnatorum. Lues orta est. respondit oraculum, virginem immolari debere, offert se illa, quæ infamabatur in fratrem. pater contradicit.

## CONTRA VIRGINEM.

**D**ilexerunt enim se mutuo fratres ultra meum votum. O fortuna crudelis! abstulisti mihi filium, relinque vel filiam. Partiamur vel saltem liberos meos. nemo de polluto grege hostiam sumit. quis hanc hostiam perimet? pater, sacerdos, an carnifex? quamvis hæc fortasse desideret ipso illo gladio perire, quo frater occisus est.

## XLIV.

<sup>1</sup> Solenne in his damnum.] Melius fortasse, in his. Idem. Solenne in his damnum.] | mino, quæ ad hoc natæ sunt. Gronovius.  
Male mutat Pithœus, In his, in sexu fœ- | <sup>2</sup> Quo ego.] Per quos ego. Pith.